

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XCVII.


[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

officia probare. Salutetur ex me cum omnibus reliquis. Cur Pastori scripserim, conjicies facile; lubenter omnia sanarem, si possem. Bene vale, Dulcissime Domine Compater. Dabantur celeri calamo, Ratisponæ, 28. Julii veteris Anno 1589.

R. D. T.

studiosissimus

Jeremias Hombergerus, D.



XCVII.

S. D. Reverende & clarissime vir, amice carissime.

Gratiam tibi amanter habeo, quod de rebus in vicina vobis Gallia & Helvetia recens gestis, me docuisti. Reddo vicissim ea, quae in vicino orbe Atetoo, superioribus mensibus, ἀξιότερα evenerunt. Joannes III. Suecæ Rex, cum conjuge Gwillia, filio Joanne infante; cum consiliariis ac ministris auxiliis ac exercitu adversus Moschos ducendo, die 5. Augusti, Révaliæ appulit. Ex navi egressus, per pontem prælongum, pedes, cum Regina & gynecæo, per civitatis plateas præcipuas, sine tubis ac tympanis, arcem modestè petivit. Ad eum mense exeunte, filius Sigismundus Rex Poloniæ accessit, ut de communibus negotiis regnorum & bello adversus Mœschum conjunctis auxiliis gerendo deliberarent. Sed dum Reges Révaliæ colloquuntur, Tattari & Turcæ, ex diversis partibus, impressionem in Poloniam terribilem fecerunt, de qua Zamoscii Cancellarii & summi exercituum Capitanei litteræ circumferuntur. Nunc Beglerbegum Turicum, deditis ad pœnam Cosaccis, non ultra Tyram progredi, sed pacem cum Polonis Hæreditariam renovare velle, accepimus. Qua de re, Turcici, & Cancellarii Zamoiscii legati, ad Reg. in Livoniæ missi sunt. Sigismundus 30. Septembr. à patre digressus in Poloniæ rediit, pater in Sueciam Calend. Octobr. Rigæ Commissarii Regis Poloniæ, Severinus Bonarus & Leo Sapiecha, Lithuaniae Cancellarius, de Tribuno plebis & Advocato civium, capitis supplicium sumserunt, duos Coss. exules pristino loco & fortunis restituerunt. Castellum ad ostium Dunæ solo æquarunt. De templo Jesuitis restituendo & Caleſdarii Gregoriani receptione, deprecantibus Senatu & ministris, res dilata, & ad comitia regni rejecta est. In Dania, Jacobi VI. Scotorum regis, cum Christiani IV. Daniæ Regis sorore, ANNA, nuptiæ, Croneburgi, die 20. Augusti, celebratae sunt, vires Scotorum Regis Sponsi tenente Georgio Reith, regni illius archimarschal-

Uuuu

co,

co, cui usitato regum absentes ducentium more, sponsa in thalamo adlocata est. Calendis Septembris, addito aliquot Senatorum regni & nobilium aliorum, & 12. Navium armatarum comitatu, navigationem in Scotiam instituit. Sed non ultra sinum Asloensem progressa aliquot hebdomadas in arce Aggershusana defecit. Unde Petrus Munck Amyralis, relicta parte classis, Hassiam 13. Octobris rediit, ut cum Regina matre & Gubernatoribus regni deliberet, an instanti hyeme progredi, vel Hassiam reverti debeant. Anglia Regina, scripto edito, causas exposuit, cur classiarii illius, Civitatum Hanseaticarum naves, frumentum & munitiones bellicas in Hispaniam videntes, justè interceperint, quarum permultas, in ostio Tagi, Lysibonam tendentes, in potestatem suam Angli redegerunt. Academiam vestram frequentia Illustrium auditorum florere, ex animo laetor. Nostræ Ecclesie & Scholæ idem status mediocriter tranquillus manet. CL. Viro Georgio O'brechto, pagellas Chronicæ priores, quas desiderari à vobis ostendis, mitto. Te oro, ut Orationes de tribus Cæsaribus, Carolo V. Ferdinando, & Maximiliano, isthic à Carolo Kiefer excusas, pro Mylrofa seu Ducato Portugallensi inserto, emas, & in nondinis proximis, Francofordiam, ad Conradum Lauterbachium cures. Unum exemplum literis præsentibus adjungere potes. Mea tibi studia & officia vicissim defero. Benè & feliciter vale. Die Crispini, 25. Octobris, 1589.

David Chyträus.



EPISTO-